

§. 9. Inter animalia bruta difficile est certum inire numerum eorum quæ sternutandi vi prædita vel privata sint. Inter domestica, canibus & felibus, ovibus & bobus testimonium perhibet Experientia. Idem asseritur de asinis & equis, his præsertim mox morbo laboraturis. Ex feris inter sternutantes numerantur vulpes. De Oryge diximus in proœmio. Quot verò id facere possunt nullo hominum hæcenus observante?

§. 10. Aves tamen & maris incolas, pisces, sternutare non putat Mart. Schoockius, de sternutatione cap. 3. p. 13. Ex avibus autem quæstionem denuò movet de Gallinis pag. 48. ob Coryzam potissimum, quæ non magis laborare ac sternutatione gaudere videntur. Sed mox stridulum tantum sonum, non autem sternutationem ipsis attribuit. De Balæna, Job. XLI. 9. cui septuaginta-Viralis $\pi\lambda\alpha\mu\acute{o}\nu$, & Vulgata sternutationem ut splendorem ignis adscribit, vide eundem d. l. improprie sternumentum per eructationem aquæ exponentem. Elegantia quoque sunt, quæ paulò superius de roncho equi bellatoris Job. XXXIX. 23. quem Münsterus & Mercerus sternutationem esse putant, adducit. Confer tamen omninò Bochart. Hieroz. part. priori, L. 2. c. 8. col. 123. seqq.

2) Subjectum
Quò.

§. 11. Caput autem in animalibus, cujuscunque sint generis, sternutationis subjectum esse, per experientie testimonium constat. Nec naribus, ex partibus exterioribus, facile quis, etiamsi naris obesa fuerit, officinae titulum denegabit. In iis enim sternutationem, non aliter ac in intestinis murmur, quilibet in se aliisque, testantibus sensibus, deprehendit. Philosophus etiam noster 1. de histor. animal. cap. 11. *Faciei, inquit, pars nasus est, quæ spiritus comitat: hinc enim inspiramus & expiramus. Hinc præterea fit sternutatio.* Hinc à varia narium dispositione major aut minor ad sternutandum facilitas. Illos etiam homines maximè sternutare dicit Aristoteles, *Problem. Sect. XXXIII. 10. qui brevissimis naribus sint*; Et dignissimus eò Commentator *Septalius Commentar. in section. X. Problemat. 49. p. 144.* ob hanc ipsam narium structuram brevem & angustam notat, feles post hominem inter quadrupedes magis sternutare. Ad geminas etiam narium vias refert *Aristoteles Sect. XXXIII. 3.*
quòd